

17

(10)

Generalprüfung

f



[Faint mirrored text bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint mirrored text bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint mirrored text bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint mirrored text bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint mirrored text bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint mirrored text bleed-through from the reverse side of the page]



[Faint mirrored text bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint mirrored text bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint mirrored text bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint mirrored text bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint mirrored text bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint mirrored text bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint mirrored text bleed-through from the reverse side of the page]

AD

ACTUM DISPUTATORIO- ORATORIUM,

IN

AUDITORIO PUBLICO ILLUSTRIS SCHOLÆ TORGENSIS

DIE 27 APRIL. 1699.

HORA POMERIDIANA I. SEQQ.
HABENDUM

MÆCENATES, PATRONI AC FAUTORES OFFICIO-
SISSE EAQVE, QVA PAR EST, OBSERVAN-
TIA INVITANTUR

A

M. GOTHOF, STEINBRECHERO RECT.

TORGÆ
PRÆLO HEMPIANO.

nimali



Vantum & utilitatis & jucunditatis juven-
tuti in Scholis etiam Classicis hærenti affe-
rant non semel iteratæ Disputationes, di-
cerem, nisi dudum vir *CL. Sturmii L. 3. Epist. Class.*
sub finem id edocuisset: disputandi morem bis per
mensem repeti, moderatum, inqviens, habet modum, &c.
Proinde disputationis habendæ rationem
præscribit, *Tract. de Lud. rect. aper. cap. 37. Sic Tom. II. Lit. institut.* legi-
mus Scholam Magdeburgensem per singulos tres menses
Actus instituisse disputatorios. Equidem neutiquam pro-
bamus illam philosophandi ac disputandi methodum Pon-
tificiorum, qui maximum temporis, utilioribus magisque
necessariis studiis in Schola impendendi, spatium acutissi-
mis frivolisque quæstionibus excogitandis, decidendis tri-
buunt, conterunt, quin & Sacris easdem Oraculis antefer-
re non dubitarunt. Audiamus hac de re testem B. Lutherum
Tom. VI. Jenesi fol. 96. ita loquentem: *Nach Verlesung des Evan-*
gelii subren sie (die Papisten) in Schlauraffen-Land. Einer
predigte aus dem Aristotele und den Heydnischen Büchern:
der andere aus dem Decret, ein anderer brachte Fragen aus
St. Thomas und Scholastern. Quid igitur mirum, si non
pauci Papisticæ religioni addicti, ab istis nugis abhorruer-
int, & suspiria ad Deum ardentissima de Ecclesiæ Schola-
rumque reformatione fufis, Aristotelem ex Ecclesia rele-
gatum iverint. Ita enim memoriæ prodit Pastor quondam
Brunsuizensis ad D. Catharinam & doctus & fidus *Gasmers,*
in Oratione lectu non minus digna, quàm jucunda de
Lampadii vita p. B. b. 7.

„ Habuit Henricus Lampadius per Hyemem ab anno 26 us-
„ que ad Festum Paschatos anni 27. collegam, Johannem Gro-
„ vium, bonum quidem hominem, sed simplicem & Pontificium. Is
„ cum in habendis concionibus infeliciores esset, subindeque ex Aristot-
„ tele, Platone & aliis profanis Scriptoribus compilata in suggestum
„ afferret: Lampadius vero summo studio Scripturæ textum inculca-
„ ret: dissonantia quædam inter duos collegas deprehensa est. Cum-
„ que Lampadii conciones populo magis probarentur, præcipui ali-
„ quot cives ejus Parochiæ, inter quos autor Sanderas antesignanus
„ fuit, ab amplissimo Senatu submisit contenderunt, ut cum Johan-
„ ne Grovio per Pastorem ageretur, quo suas Lampadii concionibus
„ nil nisi verbum Dei redolentibus, attemperaret, & Aristotelem,
Avi-

Avicennam, Isidorum & nescio quæ alia excitata numina ab Eccle-
 siæ limitibus procul removeret: Agitur cum Johanne Grovio, qui
 emendationem pollicetur. Cum igitur in die Paschatos sancta,
 Missæ. ut vocant, concio Grovio habenda esset, illeque sibi ipsi diffi-
 deret, putaret autem concioni pomeridiana familiam solummodo
 inter futuram, coram qua videbatur animo præsentiore conciona-
 turus, cum collega horam docendi permutat. Videntes itaque
 auditores, sibi Grovium non destinata hora comparere, quod sibi
 metuerat, hora 12. meridiana solito frequentiores confluerunt.
 Ille vel more suo, vel quod aliam docendi rationem ignorabat, ter
 præmisso themate, ut vocabant, Latine & Germanice: *Hæc est*
Dies quam fecit Dominus, exultemus & letemur in ea, explicationem suam
 hunc in modum exorditur: Sic dicit Aristoteles 2. Physicor. cap.
 7. Id indigne ferens sutor quidam Johannes Beccerus, nugatoria-
 rum rerum minus studiosus, una cum vicino Pflaumbaum sub ini-
 tium concionis assurgit, & funem, quo æs Campanarum pulsari so-
 let, aggressus, Aristotelem cum publica infamiâ, commotô nimi-
 rum toto auditorio, ex templo relegat, quemadmodum historia il-
 la plerisque nota est. Obstupefactus Sacerdos illa turba per pulsum
 concitata, ex suggestu statim descendit, & dimissione à Pastore im-
 petrata ex urbe discedit.

Sic & nos nostra Schola discedere jubemus spinosas Scho-
 lasticorum sententias ac infructuosas contentiones, sobri-
 um contra philosophandi studium in Programmate quo-
 dam commendaturi, nonnullas de Philosophiæ principiis
 Theses in Actu superiori disputatorio examinandas curavi-
 mus, singulisque hebdomadibus bis disputare discipulos jus-
 simus, & quidem Thesis maximam partem ad Moralia &
 Theologica spectantibus propositis, quippe optime rati non
 linguam solum Latinam eo ipso volubilem reddi, sed discrimen
 etiam veræ à falsa Ecclesiæ, etiam iis, qui studio se Juris ac
 Medicinæ sunt applicaturi, innotescere. Nam profectò quo-
 tusquisque Studiosorum operam Juri aut Medicinæ in Aca-
 demiis navantium, est, qui Theologiæ Theticæ, ne dicam,
 Polemicæ rationem habeat? Non itaque est quod miremur,
 si in aliis studiis excolendis occupati totique, ac proinde ca-
 pita fidei à Scholæ Magistris tradita oblii, facile in errorem
 deducti falsam de hoc & illo fidei dogmate opinionem fo-
 veant, aut à vera religione deficient. Quare cum Ecclesia
 nostra tot persecutionum telis hoc præcipue tempore sit
 exposita: in hac nostra Schola auspiciis Honoratissimo-
 rum Inspectorum denuò cautum est, ut singulis diebus ac-
 curata pietatis excolendæ ratio habeatur, & omnium Clas-
 sium Juventus in fundamento fidei probe solideque infor-
 metur, antequam Scholæ tectis valedicat. Id quod cum et-
 iam mihi Rectori dictum putaverim: hætenus non ele-
 gantes

gantes tantum libellos *D. Nicolai Hunnii & Doct. Balthasaris Meisneri* contra Papatum, nec non *Frid. Justi Mengeweins* Synopsis Theologiae Thetico - Polemicæ legendam, relegendam præter *Hutteri Compendium Theologicum* commendavi, atque ex his libellis utilissimis Thesin & Antithesin, per discursum & disputationulas familiarem quasi reddidi, sed hoc etiam Actu nonnullas ex iisdem Theses discutiendas proponere volui sequentes:

- I. Magistratus subditos suos ad Religionem aliam amplectendam cogere non tenetur.
- II. Consensum Parentum in ineundo Conjugio requiri quis neget; Polygamiam autem licitam esse affirmare quis autumet?
- III. Fabulosa illa de Præadamitis sententia refutata dudum est & explosa.

Quas Theses in Palæstra Auditorii nostri disputatoriâ, exercitii gratia impugnabunt, propugnabunt sequentes ab indole egregia profectuque laudabili commendandi adolescentes, ex numero Respondentium:

GOTTOFREDUS HERMANNUS, Bitterfeldensis.

JOHANN. FRIDERICUS KÖPPE, Torgensis.

Quibus se opponent:

JOHANN. MICHAEL. SCHMIDERUS, Torgensis.

JULIUS HEINRICUS SCHRAM, Dresdensis.

CHRISTOPH. HEINRICUS de GLOBIG, Eqves Saxonicus.

SIGISMUND. ERNEST. de KARAS, Eqves Lusatus.

CAROL. FRIDERICUS de WÜRKER, Eqves Danicus.

JOHANN. JACOB. KIRSTENIUS, Lützena Misnicus.

Cumque vir ille supra laudatus *CL. Sturmius l. c.* optime moneat:

Primum officium esse Præceptoris, ut videat, ne declamandi consuetudo intermittatur, & crebra declamationes habeantur, idque statis temporibus, vel paribus cum disputatione gradibus, vel vicibus alternis:

& nos eundem secuturi ordinem, finita disputatione, declamare & brevi oratione de casibus Fatalibus, qui sicuti non rarò hætenus evenerunt, ita inevitabili quasi necessitati vulgò tribuuntur, uberius dicere jussimus Juvenem egregiæ & indolis & spei bonæ

JOHANNEM MICHAELEM SCHMIDERUM, Torgens. qui & celeberrimam ad Albim Academiam petiturus, Musis simul nostris ultimum dicit Vale.

Cui duplici Actui ut interesse frequentes ac benevolenti dedignentur Dn. Mæcenates, Patroni, Collegæ ac Amici

O. O. H. officiosissimè enixissimeque rogamus, obsecramus, officia, quæ modo cunq; à tenuitate nostra

proficisci possunt, polliciti prompta semper ac parata.



78 M 437




TA → OL


kein Rest.

nur 51. Stk verwendet bisher

I

10/17





AD
DISPUTATORIO-
TORIUM,

IN
ORIO PUBLICO
CHOLÆ TORGENSIS

APRIL. 1699.

MERIDIANA L. SEQQ.
HABENDUM

ONI AC FAUTORES OFFICIO:
QVA PAR EST, OBSERVAN-
INVITANTUR

STEINBRECHERO RECT.



TORGÆ
LO HEMPIANO.

[Faint, mostly illegible text from the reverse side of the page, including words like 'in Oratoric', 'Lampadii', 'vita', 'Lampadii', 'vita', 'Lampadii', 'vita']